

asp

11

no

1714

34

DE
TENTATIONE
ABRAHAMI
PARABOLICA

AD EBR. XI. 19.

PAVCA DISSERTIT

M. ADOLPHVS BOGISLAVS GRVLICH

V. D. M.



TORGAVIAE, MDCCLX.

DE
TENTATIONE
ABRAHAM
PARABOLICA

AD BRUNNEN
EXCIPIT
M. ADOLPHVS ROGISLAVVS GRAVICH
M. D. V.



UNIVERSITÄT WÜRZBURG



V I R O
SVMME VENERABILI AMPLISSIMO
DOCTISSIMOQVE DOMINO
D O M I N O
M A R T I N O
G R V L I C H I O

S. S. THEOL. DOCTORI

ECCLESIAE TORG. PASTORI PRIMARIO
DIOECESIOS ANTISTITI MERITISSIMO
LYCAEIQVE INSPECTORI GRAVISSIMO
P A R E N T I O P T I M O

OMNIQVE PIETATIS CVLTV PROSEQVENDO
N A T A L E M L X V I I .

D. III. IDVVM NOVEMBRIS

TEMPORE LVCTVOSISSIMO ILLVSCENTEM

EX ANIMO GRATVLATVR

OBSEQVENTISSIMVS FILIVS.

V I R O
 SVMMÆ VENERABILIS AMPLISSIMO
 DOCTISSIMOQUE DOMINO
 D O M I N O
 M A R T I N O
 G R A V I C H I O
 2. & THEOL. DOCTORI
 ECCLESIAE TORO. PASTORI PAROCHIAE
 DIOCESEOS ANTISTITI M. S. S. S. S. S.
 PARENTE OPTIMO
 OMNIVÆ METATIS CULIV. PROGENDO.
 N A T A L E M L X V I I .
 D. DE DAVM. NOVEMBER.
 TEMPORE FLORENTISSIMO REVESCENTEM
 EX ANNO GRVAVITATIS
 OBSERVANTISSIMO S. S. S. S. S. S. S.





Euenit iniquis reuelationis oforibus, quod euenire solet iis, qui in vndis pereunt. Sicut enim hi, destituti aliis emergendi praesidiis, arripiunt proximum quemque scopulum, siue tabulam, siue ramum imminentem, cuius beneficio vitam sibi et salutem conseruent: ita illi copiosis argumentorum pro sinceritate S. S. fluctibus abrepti, captant obuia quaeque, vndecunque imminetia, vt pereuntis Naturalismi causam praestent incolumem. Insigne huius periculi extremi specimen dedere, quod neminem, qui in S. S. ob pietatem, fidem salutarem, prudentiam, aliasque virtutes laudatur, absque vituperiis facile relinquunt; haud cogitantes de melioribus et omni exceptione maioribus in medium producendis exemplis. Ita v. c. Iosephi in regundis prouinciis Aegyptiacis prudentiam, tyrannidem, Isaaci vitam placidam et omni furo vacuum, vafritiem Iesuitarum *), Dauidis vitam, variis fortunae ictibus turbatam, vagam et caeco fato directam, dicere haud erubescunt. Quis denique nescit, quam impie de Scriptoribus sacris singulis sentiant; id quod ex plurimis, pro auctoritate reuelationis diuinae vindicanda, scriptis, quae nostra aetate larga messe prodire, vnique perspi-

A 3

*) C. T. LILIENTHAL, in der guten Sache der göttlichen Offenbarung. Tom. VI. p. 543 seqq.

perficere facili negotio licet. Hoc autem eo tantum animo fecisse illos, constat, quo, obliquo quasi ictu veritates caelestes transfoderent, easque elumbes quasi, et omni aspersione dignas redderent. Quilibet sane, cui verbi diuini integritas curae cordique est, cum summa animi tranquillitate, de cimelio hoc pressius tenendo, allaborabit, quotiescunque pia mente animaduertit, ne vnicum quidem horum infinituum aliquid de S. S. auctoritate ac diuinitate detrahere potuisse. *Scripturae S. simplicitas potius hucusque semper efficax est, tum ad humilium instructionem, tum ad confusionem superbiorum* *).

II. Inter consiliorum diuinorum arbitros testesque haud infimum locum occupat Abrahamus. Fides eius exquisita, singularis pietas, tot tantaque beneuolentiae Dei, quae expertus est, documenta, et notabilis nexus, quo Oeconomiae gratiae, a Deo ordinatae, iunctus est, eius memoriae tantam praebent faciem, quantam obtusi hostium reuelationis oculi ferre nequeunt. Hinc non est, quod miremur, si apud illos legimus, in plurimis eius actionibus, nil, nisi quod sapiat Enthusiasmum, elucescere. Praecipue vero, non quod pueri in faba, in historia de immolatione Isaaci reperisse, sibi visi sunt, quo Abrahamum, eiusque in subeundo hoc arduo negotio alacritatem, risui posteriorum exponerent. Famosissimi certe in Anglia reuelationis aduersarii, *Comes de Schafresbury, Matth. Tindalius, Thomas Chubbis et Thomas Morganus*, quibus in Germania *Edelmannus* ille se adiunxit **), nihil inten-

*) Ita PHIL. MORNAEVS, *de Verit. Relig. Christ.* c. 26.

**) Historiam huius controuersiae enarrat S. I. BAUMGARTENIVS, *in der allgemeinen Welt - Historie*, Tom. II. p. 278 seqq. et ANDR. GOTTL. MASCHIVS, *in der Rettung der Ehre Gottes, und der Unschuld Abrahams, bey der Aufopferung Isaacs.* Rostoch. et Wism. 1755. 8.

intentatum reliquerunt, quo hunc actum, vitae Abrahamicae in primis memorabilem, atro notarent carbone, et hoc modo reuelationi insulsum quid affingerent, Deoque maxime indignum.

III. Omnino fatendum est, multa occurrere in historia tantationis Abrahami, vbi, in quo ratio acquiescat, vix reperire licet. Sed salua res est, modo is, qui totum hoc opus heroicum instituit, direxit, et ad posteros propagandum curauit, semper vocetur in subsidium, et accedat animus, omnis fraudis expers; tunc omnia erunt plana, nihilque prorsus, quod Deum dedecet, reperietur. Ingens calumniarum in reuelationem cumulus nunquam in lucem fuisset prolatus, si sacros Historicos, non mundi, sed regni gratiae in mundo, historiam vniuersalem enarrare, credidissent. Hac enim adhibita cautione, palam fit, personas; hac vel alia causa prae reliquis eminentes, non ex vna alteraue rerum circumstantium, quam ad cauillandum decerpimus, esse diiudicandas, sed in tota relatione ad regnum gratiae, et eius oeconomiam tunc temporis florentem. Quemadmodum non ex digiti extremi, vel infimae auriculae inspectione hominem, alias notissimum, dignoscere possumus, sed ex integra corporis compage, eaque specie, quae ex omnium partium proportione exsurgit: ita facillimo negotio ex historia sacra, minutatim et per frustra quasi considerata, aliquid, menti auctoris e diametro oppositum, exsculpi potest, quod, re penitius expensa, statim euanescit. Quid mirum? hostes S. S. medio illo inueniendi veritatem neglecto, in factis Abrahami tentati, et Isaaci immolandi, multas reperisse salebras, quae, si tantum animo bene ordinato considerantur, facile superari possunt.

IV. Quae itaque S. S. plenitudo est, vt nunquam, verba Sp. S. meditantem, vacuum dimittat; ea certe in historia Abrahami, filium promissionis offerentis, sese luculenter manifestat. Tam varia ibi se produnt absconditaque diuinæ sapientiae molimina in oeconomia gratiae, vt etiam Paulus, Ebr. XI. 19. dignam eam et aptam iudicauerit, qua afflicto Ebraeorum animos erigeret; dum illis partim Dei vias, quas nemo mortalium inuestigare et perscrutari queat, partim heroicam Abrahami fidem, omni mentis acie considerandas, proponit. Ita enim Apostolus loquitur: Πῶς προσενήνοχεν Ἀβραάμ τὸν Ἰσαάκ πειραζόμενος, καὶ τὸν μονογενῆ προσέφερεν ὁ τὰς ἐπαγγελίας ἀναδεξάμενος. Πρὸς ὃν ἐλαλήθη Ὅτι ἐν Ἰσαάκ κληθήσεται σοι σπέρμα. Λογισάμενος ὅτι καὶ ἐκ νεκρῶν ἐγείρειν δυνατός ὁ Θεός. Ὅθεν αὐτὸν καὶ ἐν παραβολῇ ἐκομίσατο. Hunc locum Paulinum, in se facilem intellectu, vltima verba, ὅθεν αὐτὸν καὶ ἐν παραβολῇ ἐκομίσατο, difficiliorem reddidisse, in proparulo est. Patet hoc vberius ex magno eruditorum, in eo interpretando, dissensu*), ita, vt etiam in illo, et reliquis obscurioribus locis S. S. verum videatur, quod Poeta de agris, labore assiduo colendis, cecinit **):

---- Pater ipse colendi
 Haud facilem esse viam voluit --
 ---- curis aciens mortalia corda:
 Nec torpere graui passus sua regna vetero.

Mutua semper vicissitudine, modo leuiora, modo seueriora proferunt, ita afferunt Scriptores sacri, vt nunquam, sine desiderio red-
 eundi,

*) Eruditorum varias de h. l. sententias collegit WOLFFIUS in *Curis ad h. l. POLVS in Synopsi Crit. Vol. V. p. 1293. seqq. cf. CRIT. ANGLIC. Tom. V. p. 1486. seqq. edit. Erst. I. SAVRIN Discours sur la Bible.*

**) VIRGILIUS *Georg. lib. I. v. 122. seqq.*

eundi, pios remittant lectores. Hinc operae pretium iudicavimus, etiam hoc loco inuestigare, qua ratione Apostolus, etiam vbi subobscurius scribere videtur, semper tamen egregii priscarum rerum interpretis munere fungatur.

V. Reliquis autem omnibus palmam praeripuit sententia typica immolationis Isaaci consideratio. Παρεβολήν typum inuoluere, ingenti interpretum multitudine comparatur, a quorum nominibus recensendis merito abstinemus, cum quemlibet, qui leuiter tantum in librorum lectionem incumbit, fautores huius opinionis haud latere possint. Et nescio, num ea patronorum numero, an aetate magis valeat. Antiquissimis retro abhinc saeculis eam mentibus Christianorum inhaesisse, ex Epistola, BARNABAE adscripta, patet, vbi dicitur *): *Dominum pro peccatis nostris vas Spiritus sui* (σκεῦος τῆ πνεύματος, i. e. *corpus suum*) *hostiam obrulisse*; ἵνα καὶ ὁ τύπος ὁ γινόμενος ἐπὶ Ἰσαὰκ τῷ προσερχθέντος ἐπὶ τὸ θυσιαστήριον τελεσθῆ, *vt impleretur figura facta in Isuaco, qui super altare fuit oblatus*. Hanc sententiam, sequiore aeuo, ingens Patrum Ecclesiasticorum numerus sequutus est **), quorum e testimoniis apparet, plurimos in eo consensisse, historiarum de Isuaco mactando pro Christi typo esse habendam; quamuis passim a se inuicem discesserint in similitudinis momento. Nec mirum id cuiquam videri debet, cum ex illo amore, quo allegoricas explicationes profequuti sunt Patres, huius opinionis asseclae satis fuerint aucti ***). Multae etiam variaequae calamitates, quibus premebatur Ecclesia, haud locum dedere, elegantioris Theologiae partem, quae in

B

euol-

*) *Secl. VII. 20. vti exstat in 10. BAPT. COTELERII Collect. Patrum Apostol.*

**) *Vid. I. C. SVICERVS in Thes. Eccl. P. II. p. 653. seqq.*

***) *Vid. I. F. BYDDEI Parerga Hist. Theol. p. 143. seqq. Iterum S. GLASSII Philol. S. p. 419. seqq.*

euoluendis typis versatur, penitius excolendi. Nostra potius aetas, ob limites Theologiae typicae bene ordinatos, merito gaudet; quare factum est, ut inter duo extrema, negationem scilicet omnium typorum, nimiamque illarum multiplicationem, media via incedere, *illatosque typos*, quos saepius *imatis* ad latus ponunt, plane proscribere queamus *).

VI. Isaacum autem Deo offerendum, typum esse illatum, ideoque inter typos, proprie sic dictos, plane locum non mereri, non vna causa inductis, fatendum nobis est. Etsi nos haud fugit, opus non esse, ut typus per omnia respondeat antitypo: tamen necesse est, ut in vno tertio conveniant **). Quo maior etiam apparet conuenientia inter typum, a Sp. S. intentum, atque antitypum, eo minus locus relinqui potest dubitationi. Et certe, non vltimum typi, oblationis Isaaci, momentum Theologi posuere in exacta conuenientia cum antitypo ***). Sed pace tantorum virorum dictum sit, si nihilominus vnum alterumque, circa hanc laudatam conuenientiam, dubium adhuc remanserit. Diu enim visum fuit, dissimilitudinem huius typi cum antitypo omnem similitudinem multis parasangis post se relinquere. 1) Primo statim aliquem potest offendere, Isaacum, neque vere mortuum, neque vere resuscitatum, Sospitorem, vere mortuum

et

*) *Magnif. D. C. G. HOFFMANNVS*, in *Instit. Theol. Exeg.* p. 74. ita scribit: *Falluntur, qui typos illatos cum imatis coniungunt, per vulgatam illam diuisionem, cum illati a Sp. S. non sint intenti: dum separanda coniungunt, idque partem totius existimant, quod ad totum plane non pertinet.*

***) *Illud utique ad typum pertinet, ut id, cuius typus, adumbret, ait GVIL. OVTRAM de Sacrificiis, p. 188.*

****) *Fusus id praestiterunt HERM. WITSIVS in Oecon. foed. p. 648. CAMP. VITRINGA in Obs. S. P. I. p. 410. I. H. HEIDEGGERVS in Hist. Patriarch. P. II. p. 307. §. 22. cf. Theologischer Bücheraal, cum praef. WALCHII, T. I. p. 565. seqq.*

et resuscitatum, adumbrasse. Hocce dubio nonnulli etiam eo redacti sunt, ut typum potius in ariete, cornibus suis in vepreto detento, quaesiverint; quam sententiam, praeter AVGVSTINVM ET AMBROSIVM, magnum SAM. BOCHARTVM exornasse, constat *). Cum autem in omnibus sacrificiis typicis Deus omnino mortem constituerit symbolum mortis Christi expiatoriae; durum profecto videtur, rem, in qua ne tantillum de morte occurrit, mortis futurae signum constituere. 2) Accedit porro, idque maximi momenti, in Christo fuisse *mortem vicariam*. Sed quis de Isaaco affirmaret, etiamsi omnino maclatus fuisset, mortem eius fuisse vicariam? Cum itaque nec propria, nec aliena, peccata tulerit typice; neque typus dici potest τὸ ἀίματος τὴν ἀμαρτίαν τὴ νόσος. 3) Christus solus, absque vllius auxilio, magnum opus redemptionis absoluit. In sacrificio Isaaci typico res longe aliter se habet. Difficile enim dictu est, vtrum parentis, an filii, dolor maior fuerit. Moses certe et Paulus, indice quasi digito, rationem nobis, de Abrahami, non de Isaaci, doloribus cogitandi, ostendunt. Graue nimis est, orbari filio, summe morigero, eoque vnico, ideoque patri maxime dilecto; sed multo grauius, propriis eum maclare manibus, Deo in holocaustum offerre, et rogo imponere eius cruentum cadauer in cineres redigendum; grauissimum, per totum tridui spatium, rem tanti negotii in animo occultare, et, quouis temporis momento, rigentes filii artus, in antecessum cernere. Hisque rite pensitatis, ad statuendum inducimur, Abrahami fata fati Isaaci fuisse multo duriora, et typum quasi claudicare. Siquidem de Christo *Ies. LXIII, 3.* dicitur: *Torcular calcavi solus ego, et nemo ex hominibus mecum est.* 4) In omni variaque typorum multitudine Deus id intendit, ut nihil in occulto,

B 2

nihil,

*) In Hieroz. P. I. lib. II. p. 539. seqq. cf. R. TELLERII *Amor. in der Bibel mit denen Auslegungen der Engländer, Tom. I. p. 235.*

nihil, nisi quod maiestati diuinæ maxime congruum, et nube testium comprobatum sit, fieret. Quanta pompa, regalique apparatu holocausti oblatio peracta sit, Moses satis testatur. Quaelibet sacrificia in atrio erant offerenda, vt hac ratione cultus diuinus a sacris profanorum lucifugis distingueretur. Hoc in antitypo egregie fuit impletum. Ipse Seruator probe nouit, quid Hierosolymis futurum esset. Ex Lucae XVIII, 31. id videmus, vbi dicit: Ἰδὲ, ἀναβαίνομεν εἰς Ἱερουσόλυμα, &c. Mater eius certior facta est de filii fati futuris, iisque maxime aduersis, καὶ σὲ δὲ αὐτῆς ψυχὴν διελεύσεται ἔμφρασία, Luc. II, 35. et ipsa, in perpeffione Christi, fidam se praebuit filii comitem. Vltimum denique Mediatoris supplicium, coram plenitudine non solum populi, sed tot ac tam maiestaticis peractum fuit circumstantiis, vt non modo exactissima ex eo typorum Leviticorum impletio eluceret, verum rectissime etiam *μυστήριον ὁμολογημένως μέγα* dici mereatur, 1. Tim. III. 16. ἢ πάντες ἔσμεν μίσητες. Act. II, 32 *). Isaacus ipse, scopum et exitum rotius rei mirabilis nesciens, anxie percontabatur, qualis rei catastrophe futura sit. Et Abrahamus quidem consultius duxit, verbis animum filii delinire, ne ante tempus dolore afficeretur. Sara infcia, amicis infcis, tota res peragebatur. Accedit et hoc, locum ipsum et regionem Moriae a domicilio Patriarchae fuisse remotissimam; cum tamen Messias in medio nostrum versaretur, Ioh. I, 14. His simul sumtis, vix a nobis impetrare possumus, vt credamus, sacrificium Christi expiatorium in hoc facto fuisse delineatum: Neque est, quod vberius, in cumulandis insignis typi et antitypi differentiae momentis, laboremus, nequaquam dubitantes,

*) Vide C. A. HEVMANNVS in *Primitiis Goetting.* p. 50. seqq. et FRANC. ANTON. IAGEMANNI *Abhandlung von der göttlichen Herrlichkeit, welche besonders im Leiden Iesu offenbahret worden.* Halae, 1755. 8.

tantes, quin leuiter meditantu longe plura succurrere possint. Sic v. c. in portatione lignorum Isaaci cum gestatione crucis Christi haud incongruam similitudinem reperisse sibi visi sunt, cum tamen Isaacus non ligna, quibus imponendus erat, sed pauca tantum aridiora, baiulauerit, quorum ope incendium pyrae citius latiusque diffunderetur *). Vt taceam, applicationem essentialis holocausti typici notionis semper in conclusionibus, inde elicitis, magnum post se relinquere hiatum. Rebus itaque sic comparatis, lubentissime subscribimus monito celebris admodum Theologiae typicae statoris **), ita sentientis: *Sola inter rem et rem analogia typum facere non potest, at requiritur tamen necessario quaedam analogia, idque adeo necessario, vt sine ea relatio typica, ne ad momentum quidem, consistat, si autem similitudo non nisi in titiuilitiis quibusdam haereat, id est, in rerum, quae praefigurari dicuntur, adiunctis, proprietatibus, effectisque quibusdam nullius paene momenti vel vsus, antitypi vel figurae ratio elici inde nec debet, nec potest.*

VII. Omnes autem huius facti, quemadmodum Moses illud Genes. XXII. describit, actus cum nil, nisi magnum, maiestatis plenum et θεῖον τι spirent; verum quoque est, scopum vltimum eiusdem fuisse tenoris. Typicus verò respectus cum infirmis talis stare, et ficulneis plane argumentis probari mihi videatur; id vnicum restare reor, vt scilicet respectum saltem moralem, in immolatione Isaaci, inuestigemus atque inde eruamus. Deus nimirum omnibus palam fecit, quam immensa fidei salutaris, et per caritatem operosae, sit virtus et efficacia, adeo, vt nihil in omni mundo dici possit arduum, quod non vera fide possit superari. Abrahamus hac occasione, suo iam tempore, insignem τὴν δύναμιν πίστεως ostendere, et

B 3

publico

*) Vide IO. CLERICVM in *Comment. ad Genes. XXII. v. 3. 6.*

**) GVIL. SALDENI in *Otiis Theol. p. 276. et 293.*

publico specimine demonstrare debuit, quod fides *ή νίζη* sit, *ή νικήσασα τον κόσμον*. I. Ioh. V. 4. Vel vt breuius dicam: Deus hoc facto *παραβολικώς* manifestauit potentiam verae religionis semper victricem *).

VIII. Hanc vt amplectamur sententiam, plus quam simplici mouemur ratione. Moses, breuitatis in historia alias studiosissimus, Caput XXII. de tentatione Abrahami agens, introitu memorabili incipit: *Et Deus* אברהם נסה Haec verba Scriptori sacro ex inopinato excidisse, non est credibile; praefaminis potius et introductionis in sequentia ergo, posita esse, firmiter persuasi sumus. Omnis tentatio diuina *γυμνασιος* *χάριν καὶ ἀναζήσεως* fit, et requirit subiectum Θεοδιδαντον, simulque ordinarie includit actum Dei mediatum, quo mouemur, in aprico vt ponamus, quomodo animus mortalium, sibi ipsi relictus, erga eum sit comparatus. Cum autem varia in S. Codice immediate Deo adscribatur tentatio; concludimus inde, eiusmodi commemorationem expressam instar filii Ariadnaei habendam esse. Qua quidem re rite considerata, omnes difficultates, in sequenti historia occurrentes, feliciter possumus eluctari. Hinc Moses cum in limine historiae argumentum morale inculcat; non video, cur in explicatione eius de alio cogitemus. Accedit, vocem נסה emphasi sua plane non carere. Namque eam non verendam esse per *tentauit*, sed per *tentando manifestauit*, et in exemplum constituit, literarum Ebraicarum peritissimi iudicarunt, ita, vt notio *sublationis in altum*, quam haec vox in Kal sustinet, in Pial non prorsus abiicienda, sed potius vtraque coniungenda esse, necessario videatur. Qua causa SYMMACHVS sine dubio permotus,

*) In nostram sententiam, praeter I. ST. MENOCHIVM et FRANC. RIBERAM, eunt CORN. a LAPIDE in *Comment. in omnes Epist. Pauli*, edit. Antwerp. 1627. p. 947. sqq. RICH. SIMONIVS in *Annot. ad Ebr. XI. 19.* I. A. BENIGELIVS in *Gnom. N. T.* p. 1062. aliique.

tus, haud incongrue vocem כנס^{*)} transtulit per ἐδόξασεν, finem palmarium totius actionis in eo ponens vt fidei documentum, eiusque praestantia, praecipue in Abrahamo, coram omni mundo celebretur, exemplique notio, non secundo, sed primario, acriter teneatur.

IX. Ipsa etiam Abrahami, in oeconomia gratiae, status, et, qua personam suam, relatio pro nostra pugnare sententia videtur. Pater nimirum erat credentium, caput totius fidelium coetus, immo *caput foederale* s. *oeconomicum*, ita, vt ipse promissiones, quae ad vniuersam Ecclesiam, vsque ad finem mundi existentem, pertinebant, acciperet, iis omnibus per fidem *publice* adstipulans, restipulandi inde perpetuum ius nancisceretur, donec omnia, quae Deus ipsi promiserat, posteritati eius exsoluta fuerint. Ob hanc autem causam non satis erat, vt ipse promissionibus diuinis crederet; sed etiam requirebatur, vt vsum ac praestantiam illarum, exemplo, quod oculos omnium stringeret, manifestaret, quo ipso fides ab omni nuda speculationis accusatione redderetur immunis. Paulus optime Rom. IV. 3. et Galat. III. 6. doctrinam de iustificatione per solam fidem exemplo Abrahami illustrat; sed Iacobus Epist. cap. II. 21. ex historia tentationis comprobat, omnem de fide praeceptionem esse mere practicam. Cum vero institutio Abrahami de rebus credendis ad stuporem vsque fuerit memorabilis, si perpendimus locum Ioh. VIII. 56. ex quo apparet, inter omnes fideles V. T. Abrahami cognitionem de Messia fuisse perfectissimam ^{**)} ; diuinae oeconomiae
ma-

^{*)} *Veteres Iudaeos ita de voce כנס sensisse, ostendit I. H. HEIDEGGERVS in Hist. Patr. P. II. p. 283. cf. S. GLASSIVS in Phil. S. p. 747. sqq. it. V. E. LOESCHERVS de causis linguae Ebr. p. 384.*

^{**)} *Visionem diei Christi fuisse apocalypticam s. ecstaticam, dilucide demonstratur in Biblioth. Eremens. Classe I. p. 473. sqq.*

maxime consentaneum videtur, exemplo, cui par nulla vquam aetas tulit, ostendere, quanti pretii, quantaevae efficaciae eiusmodi institutio sit, in relatione ad omnes huius mundi praerogativas et imperfectiones. Hunc certe finem in tentationis actu apparuisse, res ipsa loquitur. Quis credidisset, vnum Abrahamum fide plus valere, quam viribus valent omnes mundi heroes, qui saepissime tantummodo punctum quoddam huius terrarum orbis igne ferroque diuisere*). Quando Paulus Rom. VIII. 37. gloriatur, ἐν τῶτοις ὑπερνικῶμεν, i. e. triumphando aliorum victorias quasi obscuramus, nihil dicit, quam quod in historia tentationis profapiae spirituali dudum fuit exemplo demonstratum. Distinguendum esse putamus inter tentationes et calamitates, quas Ahrahamus cum aliis Dei amicis habuit communes, et inter tentationes, quae sustinendae ipsi fuerunt, tanquam capiti foederali, ad probandum, quid fides in homine iustificato valeat, qui Ecclesiae esse deberet exemplo. Ad illas referimus v. c. pravam Ismaëlis indolem, qua pius parens sine dubio saepe fuit vexatus, ingruentem famem, cum adhuc in terris Canaaniticis habitaret, sterilitas coniugis, eiusque altercationes cum Hagar, fata in aula Abimelechi, &c. Ad has autem referimus eiusmodi tentationes, carni ac sanguini aduersas, quae, Deo immediate dirigente, ei acciderunt; quorsum pertinent secessus e domo parentum, migratio ex vna regione in aliam, circumcisionis institutio, et illud ipsum de offerendo filio mandatum. Per illas tentationes sibi ipsi, per has Ecclesiae innotuit. In nostra autem historia scopus huius tentationis oeconomicae facilius elucet, quia Deus ipse rem extra dubium ponit, dicens: *Iam noui,*

*) Pauciores reperti sunt, qui suas cupiditates, quam qui hostium copias vincerent, vt egregie loquitur CICERO Lib. XV. ad Fam. Epist. 4. Idem fateretur Lib. I. de Offic. c. 22. Sunt ergo domesticae fortitudines non inferiores militaribus.

noui, quod sis timens Deum. Omnium vero consensu haec verba nihil aliud sibi volunt, quam illud: Nunc externo iudicio comperta est fiducia et obedientia tua; nunc patet, quanta sit fides, quanti fidei fructus in animis mortalium. Nunc notum omnibus feci, veram fidem indiuiso nexu cum toto virtutum Christianorum grege cohaerere *). Et illud valet in religionis negotio, quod de eloquentiae studio antiqui tradiderunt **): *In omni doctrina infirma est omnis artis praeceptio, sine summa assiduitate exercitationis.* Abrahamum eiusmodi Theologiae moralis capita impleuisse, quae Christi aetate in omnibus Pharisaeorum scholis nunquam audita erant, euidentis est, cum e. g. Sospitator dicit: Πᾶς ἐς ἀφῆκεν οἰκίαν, ἢ ἀδελφούς, ἢ ἀδελφάς, ἢ πατέρας, ἢ μητέρας, ἢ γυναῖκα, ἢ τέκνα, ἢ ἀγεῖς, ἕνεκεν τῆς ὀνομασίας μου, ἑκατονταπλασίονα λήψεται, καὶ ζωὴν αἰώνιον κληρονομήσει. Math. XIX. 29. cum porro Math. XVIII. 8. εἰ δὲ ἡ χεὶρ σε, ἢ ὁ πῆξ σε σκάνδαλίζει, &c. docet, nihil tam pretiosum, tam carum dici posse, quod non propter Dei amorem sit abiiciendum; nouam morum doctrinam, nouasque leges ab eo tradi crediderunt, tamen effati Christi veritatem iam pridem ex historia Abrahami discere potuissent, qui in hoc specimine λύχνος φαίνων, Ioh. V. 35. omni posteritati dudum fuerat. Quotiescunque tentationem hoc respectu consideramus, toties in illa sapientiae diuinae vias, quas humanum ingenium perscrutari nequit, admirari cogimur, secundum quas, in vnica actione fere totam Theologiam moralem Ecclesiae, quasi in compendio, tradere constituit.

X. Sed quid dicendum, cum Paulus Ebr. XI. 19. immolationem Isaaci typum Christi constituit; cum testimonium Sp. S. firmissimum omnino, omnis Theologiae sit maneatque fundamentum? Sine dubio verba, ἔθεν αὐτὸν καὶ ἐν παραβολῇ

C

ἐχο-

*) Vid. GLASSII *Phil. S.* p. 1555. *Die Bibel mit deren Auslegungen der Engell.* Tom I. p. 235.

***) *Auct. Rhet. ad Herem.* Lib. III. *sub fin.*

ἐπιτίττει, anſam dedere, de typo quodam, in hac historia ob-
 uio, differendi; quemadmodum etiam *B. Lurberi* interpretatio
 hanc ſententiam confirmare videtur. Tamen licebit paululum
 a tantis viris, omni mea laude ſuperioribus, qui pro typo
 h. l. pugnant, diſcedere, dum res longe aliter eſt comparata,
 eaque pro noſtra potius ſententia pugnare videtur. Quid ergo
 ſibi velit παραβολή, ante omnia diſpiciendum eſſe, arbitror.
 Cuilibet notum eſt, παραβολήν et חֲשֹׁבֵל Ebraeorum aequipolle-
 re, et ſimilitudinem, parabolam, ſtriſte ſic dictam, quoduis ſcite
 dictum, denotare. Sed haec ampla vocabuli notio efficit,
 vt eo preſſius propriam et natiuam quaeramus, eiusque deter-
 minationem ex contextu et conditione ſubieſti diiudicemus.
 Ille linguae graecae arbiter, SVIDAS *), noſtra opinione,
 proprium vocis ſenſum perſpexit, affirmans, quod παραβολή ſit
 λόγος αἰνιγματώδης, καὶ κεκρυμμένος, πρὸς ὀφέλιαν Φέρον. *Para-
 bola eſt obſcura oratio, occultum ſenſum habens, et ad virtutem
 utilis.* Vbicunq; igitur in N. T. vox παραβολή occurrit,
 ibi hanc a SVIDA ſuppeditatam notionem in cenſum venire
 credimus. Hinc et hoc loco primarius ille conceptus voci
 ſubiiciendus eſt. In omnibus historiae euangelicae locis
 ſemper conceptus hic facili negotio retineri poteſt. Hinc
 nulla nos cogit neceſſitas, cur ab illo, in Epiftola, vbi vox
 παραβολή bis tantum occurrit, recedamus **), cum non ſit
 verofiſmile, Sp. S. vocibus vti vagae et non explorandae ſigna-
 fica-

*) In Lexico Tom. III. p. 25. ex edit. LVD. KÜSTERI.

***) *Locus Ebr. IX. 9. iſque difficillimus, maxime noſtrae ſententiae
 obſtare videtur; ſed tantum abeſt, vt vocem παραβολή, ibi
 occurrentem, per typum vertamus, vt potius ſcopus Paulinus
 longe alio tendat.* THEOD. ACKERSLOOT, qui nihil alias
 typorum multitudini derogat, in Comment. in Epift. ad Ebr.
 ad h. l. ſcribit: *Das Grundwort, welches Fürbild überſezet iſt,
 will nichts anders zu erkennen geben, als das die Hütte, ſo
 was gegeben iſt, dadurch etwas andere verſtanden worden.*

ficationis, vbi nulla plane iusta huius mutationis caussa subest. Aenigmaticum et obscurum in tentatione Abrahami erat mandatum de offerendo filio promissionis, idque amico et patri credentium datum; super omnem humanae rationis sapientiam positum erat, eiusmodi decretum, horrore plenissimum, in gaudium et solatium vertere; diuinum erat, in hac actione complexum omnium virtutum christianaum obfignare, illumque omnibus Ecclesiae membris ad imitandum propinare. Mandatum adeo diuinum, et eius ad laetum exitum directio, cura ad posteros hunc actum Abrahami memorabilem propagandi, erat actio mere parabolica *), et concio quasi realis de efficacia fidei, et de vera natura constantiae, spei, et amoris erga Deum purissimi, nec non perseverantiae necessitate in calamitatibus, quarum finem oculi mortalium non attingunt. Merito hinc Christus Ioh. VIII, 39. Iudaeis, gloriose de se praedicantibus, respondet: *Εἰ τένα τῶ Ἀβραάμ ἦτε, τὰ ἔργα τῶ Ἀβραάμ (quae etiam ad patrem oeconomicum pertinent) ἐποιεῖτε ἂν*, iure exprobrans illis, promissiones tantum terrestres somnare eos, cum ne minimam quidem fidei et pietatis Abrahamicae partem impleuerint, cuius tamen praeconeum ille, ipsis factis, se satis ostenderit. Eo sensu, quo nos vocabulum *παραβολή* sumimus, etiam exstat in versione LXX. Interpretum, Habac. II, 6. ibi enim de decretis diuinis super regno Babelis mystico dicitur: *Ὁὐχὶ τὰ πάντα κατ' αὐτῶ παραβολὴν λήθονται, καὶ πρὸ βλεμμα εἰς δόξαν αὐτῶ*. Finem itaque parabolicum adfuisse in tentatione Abrahami, salua ana-

C 2

lo.

*) Eiusmodi mandati parabolici specimen edit Christus Matth. XIX, 21. *cum iuveni, fiducia in bona opera efflato, diceret: ποῦλόν σε τὰ ὑπάρχοντα, καὶ δὲς πτωχῶς, vbi scopus tantum est, vt ostendat, quam inanis sit perfectionis humanae gloria. Desiciente autem fide Abrahamica, deficiebant quoque eius fidei fructus et praeslantia.*

logia fidei, asserimus, quem pridem iam agnouit THEOPHYLACTVS ad I. n. *) *Abrahamus, inquit, tentatus est, ἡμεῖς τῆ πείρῃ αὐτῆ, καὶ τοῖς ἔργοις μάθωμεν τὴν ἀρετὴν αὐτῆ, ut nos ipsa experientia, et operibus virtutem eius discamus.* Descriptio tentationis Mosaica cum non repugnet huic denominationi, a Paulo factae, quoniam instar commentarii in Cap. XXII. Genes. est; locum nostrum, consultius iudicauimus, potius interpretari per Parabolam, (*Ein Lebrbild,*) vti in historia euangelica sumitur, quam per typum (*Ein Fürbild***). In vtroque loco, tam Mosaico, quam Paulino, non de argumento, quo conuincimur de religione, esse sermonem, sed quo incitatur ad religionis exercitationem, censemus.

XI. Argumenti loco etiam ponimus hoc, in loco nostro Genitiuum rei denotandae plane deesse, cuius praesentia aliis in

*) Apud SVICERVM I. c.

**) Multi verunt ἐν παραβολῇ, in similitudine, vel per similitudinem, sed, fratrum instar Cadmeorum, digladiantur inter se, in explicando similitudinis momento; qua de re exemplum profert I. SAVRIN dans les Discours sur la Bible, Tom I. Disc. 20. p. 303. seqq. vbi recenset controuersiam de loco nostro, in Diario Gallico, (*Nouvelles de la République des Lettres,*) actam. Sed superfedemus huic liti dirimendae, quoniam hanc sententiam iam sub examen vocarunt I. C. WOLFFIUS in Curis ad h. l. et fustus I. A. CRAMERVS in Comment. in Epist. ad Ebr. germanice edito, Tom. II. p. 363. seqq. Aliis perplacuit ingeniosa I. F. HOMBERGII zu VACH sententia, quam exposuit in *Parergis Crit.* quae Traiecti ad Rhenum, 1712. 4. prodire, p. 351. seqq. Ὁ θεὸς ἐν παραβολῇ illi est: in ipso praesentissimo periculo recepit, non manu, sed thylaco, insignem eruditionis apparatus ferenti, ut lectoribus placeret, quam dedisset interpretationem; sed vereor, ut Apostolus tam erudite cogitauerit, vel cogitare poterit, de Parabolanis, eorumque officiis.

in locis N. T. vbi typi explicantur, eius certitudinem extra omnem haesitationis aleam ponit. Paulum autem pro summo Theologiae typicae magistro iure meritoque haberi, nemo ibi inficias. Sed ille filet plane de antitypo. Hinc tanta sententiarum diuortia. Nonne Apostolus in via et ratione semper similis sibi non est? Vix crediderim. Egregiam sane et sufficientem addit alias explicationem, ne lector anceps relinquatur, quorsum imaginis propositae tendant lineae. Quam dilucide ab Agno Paschali concludit ad Christum, 1. Cor. V. 7. quam sollicitè de duplici testamento sui ipsius interpret est, Gal. IV. 21. et quam concinne in Epistola ad Ebraeos ostendit*), ne minimas quidem cultus Leuitici circumstantias incassum cecidisse, ita, vt semper iusta rei explicatio et determinatio reperiri potuerit. Sequitur ille hac in re ipsum optimum Seruatorem, qui eandem adhibuit, in exponendis typis, perspicuitatem, vt apparet ex allegata serpentis aenei**) et Ionae historia. Math. XII. 40. Ioh. III. 14. Tacente itaque Apostolo de typo, tacemus et nos, atque vtilius id putamus, quam temere et anxie illum textui intrudere; cum facilius mentem Pauli assequendi via pateat, et moralis remaneat scopus, qui typico, nisi eum grauitate et pondere superat, certe, ad illustrandam oeconomiam gratiae, ne latum quidem vnguem cedit.

C 3

XII. Mul-

*) Cum Ios. HALLETI conatus Epistolam ad Ebraeos Paulo non detraxerint, inuisita stant argumenta, quibus Paulo illa vindicatur, quaeque ordine suppeditat Magnif. D. C. G. HOFMANNVS in *Introducf. Pritiana*, p. 45. seqq.

**) Sententiam P. ZORNII in *Bibl. Exeg. Antiq.* p. 692. qua serpens aeneus pro imagine cacodaemonis habetur, quamque magni nominis Theologus nuper denuo ornauit, accurate discussit L. I. NOELTINGIVS in *Diff. de serpente aeneo typo Christi*. Ienae, 1759.

XII. Multo dilucidius hoc patet, si ipsum inspiciamus contextum, quem Paulina verba prae se ferunt. Argumentum Pauli a Cap. X. 19. vsque ad Cap. XIII. 19. mere est adhortatorium et paracleticum. Hinc allegationem Cap. XXII. Gen. tantum considerare iubemur, non qua respectum ad *ἡδυσιαλισμῶν*, stricte sic dictam, sed quatenus *παιδεία* inest in hoc facto, quae tendit ad erigendos afflictorum et tentatorum Ebraeorum animos. Duplicem fidei descriptionem autor diuinus suppeditat Cap. XI. i. eam nempe esse *subsistentiam sperandorum*, et *argumentum eorum, quae non videntur*. Posteriorum horum verborum membrum probat v. 3. ex historia creationis: deinde priorem partem, fidem esse *ὑπόστασιν* &c. luculenter illustrat, et variis, ex antiquitate adhibitis, exemplis demonstrat, quam salutare ista fides effectus produxerit, gratuitaque gratiae diuinae praemia; quibus finitis, Cap. XII. ea omnia applicat illis, ad quos scribit, et, per modum conclusionis, Ebraeos, varia calamitate pressos, ad perseverantiam in fide, semel agnita, hortatur. Si autem Paulus omnia adducta exempla, consolationis causa, affert; etiam ad hunc scopum, per exemplum Abrahami, eum collimasse, credendum est. Solutum enim haud leue ex illo capi potest, praesertim in animis Iudaeorum, qui Abrahamo patre tantopere superbiebant. Ita sane Paulum argumentari, palam est: Si Deus, in tam arduo Abrahami negotio, fidei eius memor fuit; certe et, in vestris calamitatibus, fidei vestrae haud erit immemor. Quodsi igitur gloriamini, filios Abrahami *ἰσοψύχως* vos esse; necesse est, ut attendatis ad eius constantiam, pronitatem in obediendo, et luculentissima pietatis practicae testimonia, praesertim, cum vestra, qua in rerum praesentia vexamini, calamitas ne tantillum quid attingat tentationem capitis nostri foederalis. Creditisne, a Deo Abrahamum sui ipsius causa tam mirabili modo tentatum fuisse? Nequaquam, *ἐν παραβολῇ*, in vestram exci-

excitationem recepit filium*). Parabolice in historia vobis exponitur, quantus labor istius sit, qui optatam metam cursu cupit contingere. Paulus loquitur de receptione filii Isaaci, dum breuitatis studiosissimus est; sed hoc non vnice in censum venire apud Ebraeos debebat, δύναται ὁ θεὸς ἐν τῶν λίθων ἐργεῖσθαι τέκνα τῶν Ἀβραάμ. Matth. III. 9. Sed simul innuit, promissiones Genes. XXII. 16. 17. 18. recens confirmatas, quae amissae et inanes videbantur; innuit quietem et felicitatem, qua, examine hoc rite exantlato, sine intermissione deinde gaudisus est. Cum itaque, pergit quasi Apostolus, fidem iam accepistis iustificantem; subiicite vos etiam, ad eius exemplum, castigationibus paternis, ἕως μέγχις ἁμαρτίας ἀντιμαρτύσητε, πρὸς τὴν ἀμαρτίαν ἀνταγωνιζόμενοι. Tacite quemlibet hortatur: Si filius Abrahami esse cupis, et particeps praemiorum in fide perseverantis; παρεύς, καὶ σὺ ποιεῖς ὁμοίως. Luc. X. 37. Adeo Paulus non recedit a methodo Christi et Prophetarum, vt ex inopinato quasi orationi consolatoriae typum, sine necessitate, infarciat. Typus enim non confert ordinario ad παρὰ κλίσην, sed pertinet ad διδασκαλίαν. Afflictus non cupit σκιάν μελλόντων, sed σῶμα ipsum, quod est Christus. Dauides, solatii cupidus, Pl. LI. 19. sacrificium non typicum, sed cordis contriti, offert. Sospitator, magister omnis solatii, peccatorum animos, remissione delictorum, erigit quidem, sed de typis tacet. Ex quibus indicis apparet satis, Theologiae paracliticae incongrue typus immisceri; inductionem autem exemplorum, eorumque ad obiecta afflictia applicationem, insignis vsus esse, ipsa experientia magistra, edocemur. *Melius homines exemplis docentur, quae in primis hoc in se boni habent, quod approbent, quae praecipunt fieri posse**).*

XIII. Mo.

*) Praepositiones εἰς et ἐν permutari frequenter in N. T. ostendit

GLASSIUS in Philol. S. p. 1030. seqq.

**) PLINIUS in Panegy. c. 45.

XIII. Modus etiam, quo amanuensis sacer in nostro loco historiam prosequitur tentationis, testatur, singula momenta, *ἐυσθεσίας χάριν*, lectoribus proponi. Commemoratur v. 17. τὸ πιστεῦν, sed statim addit τὸ προσφέρειν ἐν πίστει, ne vllus audeat fidem sibi fingere otiosam. Abrahami res gestas non generatim in memoriam reuocat, sed quatenus fuit *πειραζόμενος*. Hinc attentionem apud miseros Ebraeos excitabat, ad perpendendum, cur generis sui auctori haud melior contigerit conditio, quam sibi ipsis. In medium porro profert, quanti donum illud steterit, quod Deo fuit offerendum, vt discerent, palmarium esse in calamitate hoc, cum non superflua, sed multo carissima, sapius amittuntur. Tandem enarrat, quo modo Abrahamus in tam arduo rerum articulo se gesserit, euitando duos scopulos, quorsum homines tam facile feruntur, desperationem et leuitatem animi. V. 19. λογισάμενος *) ficitur, ὅτι καὶ ἐκ νεκρῶν ἐγεγενεκεν δυνατὸς ὁ θεός. Lustam **) carnis et spiritus in animo ipsius adfuisse audimus. Λογίζεσθαι enim est, Logicorum more, collatis vtrinque rationibus, multoque labore verum a falso discernere, et in illo acquiescere. Euadit autem superior Abrahamus, fide adhibita veritati de resurrectione mortuorum, reliqua de religionis capitibus cognitione non exclusa. Qui, veritatum caelestium ope, omnes superare audet tentationes, is non superficialia, sed plenaria et so-

*) Quia Paulus h. l. de momento quodam loquitur, quod in historia Moysi non legitur, Deus autem solus intimos animi recessus penetrat; argumentum pro diuina inspiratione Epistolae ad Ebraeos inde deducit G. G. ZELTNERVS in Bibliis Altdorsianis, ad h. l.

**) Abrahamum enim stoica ἀπαθεία mandatum diuinum accepisse, non videtur credibile. Homini est, dolore adfici, sentire, resistere tamen, et solatia admittere, non solatiis non egere, ait PLINIUS Lib. VIII. Epist. 56. 4.

solida cognitione instructus sit, necesse est. Qua in re optime abundeque confirmatur exemplo tam luculento. Nec tam ore, quam ipso opere; non in secundis minus, quam in aduersis rebus, agnitam veritatem mordicus tenere debet. Hoc hominis vere Christiani officium, hoc specimen Christianae fortitudinis dicitur *). Omne istud in Abrahami tentatione lectori, variis calamitatibus obruto, tanquam in speculo conspicuum, repraesentat Paulus. Quid quaeso inde Ebraei colligebant? ὅθεν αὐτὸν καὶ ἐν παραβολῇ ἐνομίσατο. Ergo Isaacus, domum missus, typus Christi factus est? Equidem vix crediderim. Pronior multo fuit cogitatio: hinc, Abrahami exemplum intuens, quilibet eius imitetur virtutes; hinc quilibet credat, apud Deum adhuc praemia fidei et auxilium in promptu esse, vtut coram oculis nostris sit absconditum. Ὅθεν enim denotat terminum a quo, et antecedentium naturam ostendit, ex cuius consideratione, tanquam ex *principio cognoscendi*, veritas aliqua elicitur. Qualis vocabuli vsus etiam occurrit I. Ioh. II. 18. Νῦν ἀντίχριστοι πολλοὶ γεγόνασιν. ὅθεν γινώσκουμεν ὅτι ἐσχάτη ὥρα ἐστίν. coll. Act. XXVI. 19. Vltimam hoc effatō vitae Abrahami oeconomicae scenam theologice, et quidem practice, contemplari iubet Apostolus, ne τὸ θέλον in hoc factō amittatur, sed potius elucescat, quam certissime de Ecclesia etiam tunc cogitauerit Deus, singulisque membris veram *regni*, quod aiunt, *crucis* formam egregie delineauerit. Vult, inde cognoscant, quam necessario ad rationem status regni

D

gra-

*) Agit de hac virtute ex instituto Venerandus HEYMANNS in *Noua Sylloge* Dissert. P. II p. 271. seqq.

gratiae pertineat: *εἰ δὲ χεῖρς ἔσῃ παιδείας, ἧς μέτεχον γεγονόασιν πάντες, ἀγα νόθοι ἔσῃ καὶ ἐχ υἱοί.* Ebr. XII 8.


XIV. Hisce argumentis, non seorsim, sed iunctim sumtis, maxime probabile videtur, scopum totius tentationis Abrahami fuisse parabolicum, i. e. gratiam salutarem in hoc viro, quid efficere possit, expertam fuisse, vt omnibus, praecipue V. T. fidelibus appareret illustri perquam specimine, quanta religionis sit efficacia, ac super omne, quod reliquum est in mundo, longe supereminens. Augustam veritatem! quam pauci tantum, in Christiano coetu, tam magnam, tam necessariam reputant, paucissimi, in illa vt crescant, annuntur, *πρὸς καιρὸν πιστεύσιν, καὶ ἐν καιρῷ πειρασμῶ ἀφίστανται.* Luc. VIII. 13. Si Abrahami facta et fata non cursim spectassent S. S. irrisores, sed secundum statum eius et relationem ad oeconomiam gratiae, vt eo tempore vigeat, non tam saepius commississent fallaciam a dicto secundum quid ad dictum simpliciter. Num enim ille Enthusiasmo abripitur, qui λογισόμενος per triduum, rationibus probe subductis, profunda meditatione, facti futuri conditionem ponderat? Nisi illustriora Abrahami fata, duce Paulo, consideres, quatenus fuit pater credentium, a quo ore factoque posterius spirituales erudiendi fuerunt, omne iudicium de viis Dei, mysterio plenis, saepissime euadet inane. I. Cor. II. 14. Quaestiones denique omnes de iure summi Numinis, quo maestationem filii innocentis iusserit, plane euanescent, si Deus doctoris instar consideratur, qui, huius rei directione, tantum, in examine quasi rigoroso, occultam fidei praestantiam, eiusque valorem, heroico quodam exemplo, in apricum producere, secum constituit. Abso-
num

num esset, de viri docti eruditionis apparatu ferre iudicium, qui ignorantiae speciem belle mentitur, quando, rudi catechifandorum plebe circumfusus, hoc tantum medio eorum attentionem et scientiam probare cupit. Insulsiſſimus tandem error est IO. CRAIGII, qui in *Theologiae Christianae Principiis Mathematicis*, Lipsiae 1755. editis*), haud veretur asserere: Quantum temporis praeterfluat, a termino huius vel illius facti, tantum etiam decreſcat rei veritati, adeoque necesse sit, ut, senescente mundo, paulatim fides in Christum sit peritura. Lyrae lyrae! Myſterium de Christo, Patriarcharum aevo, multa adhuc caligine inuolutum erat: nihilominus iam tunc fides talis fuit efficaciae et roboris, qualem hodie, in plena Euangelii luce, vix fando audimus. Certiſſimum ergo manebit, fidem, nec nostra aetate, larga doctrinae ſegete illuſtri, ſua vi hominibus defuturam eſſe. Paulus ipſe fatetur: Πάντα ἰσχύω ἐν τῷ δυναμῶντι με Χριſτῷ. Philipp. IV. 13. Perpetuum animi peruerſi argumentum erit, ſi fides noſtra pauciores fructus afferat, quam aevo priſtino, cum Deus ſaepe adhuc habitaret in caligine. I. Reg. VIII. 12. Τογαρεν καὶ ἡμεῖς τοσούτον ἔχοντες περιμειμενον ἡμῖν νέφος μαρτύρων, ὄγκον ἀποβήμενοι πάντα, καὶ τὴν εὐπερίστατον ἀμαρτίαν, δι' ὑπομονῆς τετέχνημεν τὸν προκειμενον ἡμῖν ἀγῶνα. Ebr. XII. 1.



Iahn

*) Vide C. M. PFÄFFII *Academische Reden über seine Theologiam Anti-Deiſticam*, p. 22.



Iam vero illud agendum, quod officii ratio et diei requirit
 solemnitas. Si enim vnquam tempus mirifica me laetitia
 cumulauit, hic profecto dies est, quem ex animo meo nulla
 exstinguet aevi vicissitudo, nulla delebit obliuio. Quoties
 fane hunc adesse diem sentio, quo ante annos sexaginta sex
 in hanc es lucem, PARENS OPTIME, susceptus; toties insigni
 animus meus delectatione et voluptate delinitur, idque tanto
 magis, cum video, tot ac tantis, quibus vndique cingebaris,
 laboribus exantatis, TE hucusque superesse saluum et in-
 eolumem. Quid igitur mirum, si hodie, Pietatis lege constri-
 ctus, singulis, qui bene rebus TVIS cupiunt, applaudentibus
 me adiungam. Quanta enim est, quam grata ac memori
 nunquam non mente venerabor, TVI erga me affectus, vere
 paterni, propensio, fons largissimus beneficiorum, quae esse
 possunt maxima, quorumque numerum me accurata tenere
 posse memoria, dudum sperare desii: tanto simul desiderare
 TE, eodemque iustissimo, rigore abs me, scio, vt ita semper amo-
 re vtar TVO, vt nec TE beneficiorum, in prorsus indignum col-
 latorum, poeniteat, nec ipsemet turpis silentii, cum tam mul-
 ta me ad pia vota nuncupanda excitent, accusari queam. Vti-
 nam vero TIBI, TVISQUE in me meritis pietate pari ac reue-
 rentia respondere vllō modo possem! Vtinam, quanto me fue-
 ris studio, quanto amore prosequutus, immortalitati consecrare
 possem! Quod cum a me, ob ingenii imbecillitatem, effici ne-
 queat; in votis subsisto, molam saluam, eamque summis saltem
 digitis,


digitis, adfero, quum, thuris masculi aceruos quominus plena lance dem, curta rerum mearum supellex haud permittat. Amas TV quidem, PARENS INDVLGENTISSIME, praeter caetera, animi sinceritatem, quae nulla fuci et pigmentorum libidine corrumpitur; et illa virtute, quam IPSE habes satis in me exploratam, commotus, hanc opellam, non eruditio- nis, cuius nullam mihi partem vindico, sed officii tantum pietatisque interpretem, offerre TIBI ausus sum. Quodsi autem vltimam in hisce pagellis limam desideras, nihil, quod re- geram, habeo. Probe nosti fata, quae, durante hoc in quin- tum iam annum bello, expertus sum duriora. Nosti proelium, nuperrime IV. Non. Nouemb. ante oculos nostros, proh do- lor! commissum. Nosti, me dies ac noctes plures, penitus exspoliatum, inter vulneratorum militum, et ex vulneribus mortuorum, turbam, cuius numerus a me iniri vix potuit, de- gere coactum esse, adeo, vt frigore ac fame oppresso, ne lo- cus quidem ad dormiendum humi relinqueretur. Fauore igi- tur hoc, quod TIBI dico, suscipias velim, bonamque in partem interpreteris, si tot curis anxiiis atque tanto moerore interce- pram ingenii alacritatem saepius inuenturus sis. Hac spe, haud vana, suffultus, de nulla alia re magis cogito, quam de Deo suppliciter rogando, vt pias, pro TVA salute, preces ratas esse iubeat. Redeat cara illa mihi TVISQVE dies in seros vsque annos. Tueatur, sospitet, seruet TE propitium Numen, vt, TE saluo, salua sit Ecclesia Torgauiensis, salua sit TVA gens, omnesque salui sint, quibus religionis efficaciam semper vi- tricem demonstrare concatenato conaris studio, quo et in poste-

XXX

posterum seges fortunae meae sis et materia. Valeas,
PARENS OPTIME, ex animi TVI sententia, immo
quoque ex mea, quam rectissime et diutissime. Ita enim
nunquam, de benevolentia diuina gloriandi, nobis omni-
bus deerit argumentum. Faxit insuper supremus rerum ar-
biter, vt bello hoc, omnium, quibus Germania laborauit vn-
quam, funestissimo et mole maximo, finito, ad priscam glo-
riam resurgat patria, ad interneccionem vsque oppressa, et in
ea alma pax propediem denuo vigeat, floreat,
perennet.



Pag. VIII. lin. vlt. *Discours sur la Bible*, adde: T. I. Disc. 20. P.
303.




Virtus
 PARENS OPTIME. Et animus est
 quique ex illa, quam in se habet
 antiquam, de necessitate deus
 hoc dicitur. Pars est
 biter, ut helle hoc omnium, quibus
 quom, dicitur et modo maxime, deus
 tantu tollere posse, ad intentionem
 et dicitur prope dicitur dicitur, deus
 panna.



Reg VIII de re...
 104







AB: 101940

ULB Halle 3
002 422 557


Nr. 16 = Handschrift Sb.

Vb 17

Reha ✓







34

DE
**TENTATIONE
ABRAHAMI
PARABOLICA**

AD EBR. XI. 19.

PAVCA DISSERTIT

M. ADOLPHVS BOGISLAVS GRVLICH
V. D. M.



TORGAVIAE, MDCCLX.

